

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Beatitudo siue beatus g  
cum fonte primo

Dico beatam uitam consistere

in altitudine sapiencie,  
suauitate consciencie, uirtutis sublimitate.  
Non sine passione esse  
sed uictorem passionis esse beatum est.

Ambrosius de officiis.

Et sunt tamen qui in hoc corpore tam infirmo,  
tam fragili, impossibilem uitam beatam putent,  
in quo necesse est angi,  
dolere, deplorare, aegrescere;  
quasi uero ego in corporis exsultatione  
dicam uitam beatam consistere  
et non  
in altitudine sapientiae,  
suauitate conscientiae, uirtutis sublimitate.  
Non enim in passione esse  
sed uictorem esse passionis beatum est,  
nec frangi temporalis motu doloris.

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 2.5.19  
(CCSL 15, M. Testard ed., p.103, ll.19-25).